

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. N. 42340/09 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Querelae nullitatis adversus sententiam rotalem d. 8 oct. 2008

DECRETUM

In causa, de qua supra, T.E.R. X die 28 octobris 1997 constare edixit de nullitate matrimonii ob exclusum bonum sacramenti ex parte viri actoris, quam vero decisionem Rotae Romanae Tribunal duplici sententia conformi confirmavit, dierum nempe 25 iulii 2001 et 8 octobris 2008.

Non acquieavit autem Cl.mus viri actoris Patronus ex officio, qui instantia diei 18 februarii 2009 querelam nullitatis penes H.S.T. proposuit adversus sententiam rotalem diei 8 octobris 2008.

Quibus praehabitis,

**INFRASCRIPKTUS SECRETARIUS
SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURAE APOSTOLICAE**

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod propositio querelae nullitatis his tribus argumentis suffulta est: a) admissa non sunt nova capita nullitatis matrimonii, quae Cl.mus viri actoris Patronus in tertio iudicii gradu tamquam in prima instantia introducere voluit; b) reiectae sunt eius petitiones ut mulier denuo interrogaretur; c) exaratio sententiae secundi gradus nimis procrastinata est;

Perpenso ad primum allatum argumentum quod id non est motivum nullitatis decisionis in tertio iudicii gradu latae relate ad caput nullitatis exclusionis boni sacramenti ex parte viri actoris, de quo iam inde a primo iudicii gradu; can. 1683, ceterum, relate ad caput nullitatis in gradu appellationis allatum tantum statuit quod tribunal id, tamquam in prima instantia, admittere potest, sed haudquaquam quod id admittere debet;

Perspecto ad secundum argumentum allatum quod iudex novam probationem in causis nullitatis matrimonii in gradu appellationis tantum admittere potest auditis partibus et dummodo gravis exstet ratio, remoto quolibet fraudis vel subornationis periculo, quodque iudicis est decernere num hae condiciones adsint (cf. cann. 1600; 1639, §2); denegatio, utcumque, ut pars conventa in tertio iudicii gradu denuo interrogetur, denegatio iuris defensionis partis actricis haud videtur;

Considerato ad tertium argumentum allatum quod procrastinatio exarationis sententiae secundi gradus non est motivum nullitatis relate ad sententiam tertii gradus;

Cum proinde iam prima facie argumenta allata omnino imparia sunt ad assertum denegatum ius defensionis et exinde nullitatem sententiae tertii gradus suffragandam;

Animadverso quod gratuitum patrocinium, quo vir actor gaudere videtur, revocandum est, si et quatenus instantia proponitur quae fumo boni iuris haud gaudet;

Viso praescripto can. 1505, §2, 4°;

Auditio Rev.mo Promotore Iustitiae,

decrevit:

Propositam querelam nullitatis in limine reiciendam esse et facto reici ob defectum fundamenti.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra terminum peremptorium utilem decem dierum ab eodem recepto, quo casu in primis videndum erit de revocando gratuito patrocinio, vel minus.

Quod notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae die 10 martii 2009.

+ Franciscus DANEELS, o. praem., *Secretarius*

Paulus MALECHA, *Moderator Cancellariae*